

sarius qui eam opponit est in reali possessione bonorum defuncti; quasi sentiat, quod eo casu quo non possidet, non possit allegare aliquam exceptionem, vel vitium invisibile, dato quod velit in continenti probare; & ad hoc patet, quia Gloss. proponit quæstionem & exemplum, adversario possidente; & simpliciter DD. eam referunt, & sequuntur: Solus tamen Corne. ibi in principio dicit, quod non refert an adversarius possideat, vel non; quia jura superius allegata non ponderant nec requirunt possessionem aliquam, & in utroque casu militat eadem ratio: unde Gloss. illud dixit gratia exempli. Sed ultra eam ego sic dico, quod si adversarius allegat & opponit exceptionem domini, quia dicit se dominum alicujus rei hereditariæ; tunc si possidet & incontinenti probat, bene auditur & impeditur missio, per regulam, *dolo facit*: unde si in tali casu non possideret, non audiretur, sed hære mitteretur in possessionem, & ipse adversarius ageret rei vindicatione, vel via ordinaria contra eum: & isto casu est verissima & procedit Glossa & ejus exemplum, in *dict. leg. 2.* & communis opinioni. Si verò non allegat nec opponit adversarius exceptionem domini, sed aliam, puta, præteritionis, falsitatis vel similem, quam dicit sibi competere, quia est filius, vel est de successoribus ab intestato; tunc, modò possideat, modò non, auditur, & impeditur similis missio si in continenti probat, aliàs non, argumento text. in *dict. leg. 3. §. Ibidem ff. Ad exhiben. & in dict. leg. Ille à quo §. Si de Testam. ff. Ad Treb. cum similibus*, & est mea nova declaratio ad text. cum Glossa in *dict. leg. 2.* Unum tamen circa proximè dicta nota, quod si vitium præteritionis filii sit visibile bene impeditur missio: ut si fortè de filio in potestate sit facta mentio per patrem in testamento, sed non reperitur ibi institutus nec ritè exheredatus; quia tali casu vitium reputatur esse visibile, argumento text. in *dict. leg. fin. & in specie ita tenet Bart. in dict. leg. fin. 3. column. 1. oppos. & Paul. de Castr. ibi, 3. col. in princip. Philipp. Dec. 10. column. num. 36. idem Bart. in leg. 1. eod. titul. & ibi Corne. 1. column. in medio.*

Item adde, quod vitium visibile, ut cancellatio, vel rasura testamenti, ita demum vitiatur, quando esset in parte substantiali, ut puta circa institutionem hæredis, vel alia simili parte ex qua pendet tota virtus & validitas testamenti: secus verò si in alia parte, ut in aliquo legato, vel clausula; quia non vitiatur nisi illa tantum pars: & idem est in quolibet alio instrumento; quia si esset vitium in parte substantiali, à qua dependet validitas totius instrumenti, ut circa annos Domi-

ni, vel aliam solemnitatem ipsius, quia vitiaretur totum; si verò in alia parte, solum vitiaretur illa pars in qua est vitium: ita Gloss. notabilis in *dict. leg. final. in verb. Vitiatum*, & ibi Bartol. 3. column. num. 3. Paul. in 2. in fin. versic. *Terriò requiritur*. Bald. notat 5. column. in medio, 4. oppos. Salyc. 3. column. in princ. argumento text. in *cap. Ex litteris de fide instrument.* & ibi notat Abb. fin. column. & quæst. & communiter Modern. Innocent. & communiter DD. in *cap. Fraternitatis, de hereticis*. Intellige tamen, quod vitium, cancellatio, vel rasura testamenti, vel cujuslibet instrumenti vitiatur, præterquam si reperiatur bene correctum vel emendatum ab eodem notario vel tabellione: ut quia dicit, *quod supra in tali parte vel loco rasum, vel cancellatum, vel aditum est, manu mea factum est*: quia tunc non vitiatur instrumentum: & ista est notabilis & quotidiana practica: ita probat text. singulariter in jure, in *leg. 1. §. Et ideo. ff. de His qua in testam. delen.* per quem ita tenet Bart. in *dict. leg. fin. Cod. de Edict. divi Adrian. tollen. 3. column. num. 3.* Bald. 5. column. 4. oppos. Salyc. 3. column. num. 13. Corne. 4. column. num. 11. Dec. 11. column. tenet etiam notabiliter Bartol. in *dict. leg. 1. §. Et ideo*, & ibi Bald. 2. column. 5. notabili. quem ad hoc dicit unicum & non alibi: & ad hoc notat eum ibi Din. & Oldrad. quos ipse refert: & tenet ibi Albert. 2. column. & ad hoc eum dicit unicum Angel. 2. col. n. 6. & illum ad hoc notat, & commendat Bartol. in *leg. Divus. §. Item senatus in fin. ff. ad legem. Cornel. de Fals.* tenet etiam Bartol. ubi dicit, quod ista est communis practica, in *leg. Si unus, in fin. Cod. de Testament.* & ibi Bald. & communiter DD. tenet etiam & commendat Abb. in *cap. Ex litteris, de fide instrument. col. 2.*

Adde tamen, quod superior conclusio & doctrina debet intelligi, quando talis rasura vel cancellatio corrigitur vel declaratur in corpore ipsius instrumenti ante signum & subscriptionem notarii vel tabellionis: secus verò si extra, puta in margine; quia tunc non habet diem nec testes instrumentales, & potuit facere ex intervallo & falsò, & sic redditur suspectum instrumentum: ita singulariter Bald. in *leg. Si unus, Cod. de Testam.* & allegat ita tenuisse Mar. Silen. idem tenet ibi Paul. & reputat perpetuò menti tenendum: idem tenet Angel. de Perus. ibi: idem tenet Bald. in *leg. Nostram, Cod. eodem titul. de Testam. 2. column.* & ante eos idem tenet Joan. Andr. in *Addit. ad Specul. in titul. de Instr. edit. §. Ostenso*, versic. *Illud quoque*, in additione quæ incipit, *verior est, in princip.* Contrariam tamen sententiam reperio quod tenet Bald. in *Rubric. Cod. de Fid. instrument. 9. column. in me-*

medio, num. 29. ubi dicit, quod valet & probat, & quod sufficit talis correctio vel emendatio in margine: quia cum sit de coherentibus, videtur habere diem, & alia solemnia scripturæ principalis, dummodo contet quod sit ejusdem notarii: argumento text. in *leg. Si quis ex argentiis. §. Si initium. ff. de Fdendo*, idem tenet Bald. in *leg. Labeo, §. 1. ff. de Pactis. 2. col. in fin.* Sed certè opinio Bald. in *dict. leg. Si unus*, est verior, & magis communis, & eam tenet Alexand. in *dict. leg. Si unus, fin. column.* & ibi Corn. penultim. & fin. column. & ibi Jas. fin. column. Nec obstat text. in *dict. leg. Si quis ex argentiis. §. Si initium*. Quia ille textus procedit in scripturis habentibus ordinatam consequentiam scripturæ & in quibus est unus contextus; quo casu intelligitur repetitus idem dies & solemnitas instrumenti: secus verò aliàs, ut in nostro casu: ita respondet Alexand. ibi, qui dicit, quod ista sunt notanda & menti tenenda, quia non possunt esse magis quotidiana. Pro qua sententia & conclusione est hodiè expressa lex regni, *lib. Pragm. fol. 192. in 2. column.* Item adde, quod non requiritur prædicta correctio vel emendatio, quando littera est omnino similis, ut videatur manu ejusdem notarii scripta: ita tenet Gloss. singularis in jure in *dict. leg. fin. Cod. de Edict. divi Adrian. toll. in verb. 1. Figura*, quam commendat & dicit se nescire alia, Angel. ibi, 2. column. num. 3. tenet etiam & commendat ibi Bartol. 3. col. num. 3. Alexand. 6. column. num. 18. Corne. 4. column. num. 10. similiter Glos. in *cap. Cum venerabilis, extra, de religio. donibus, in gloss. fin.* Contrarium tamen tenet Salyc. in *dict. leg. fin. 3. col. ex eo*, quia comparatio litterarum non facit plenam fidem, & redditur suspecta propter variationem: & idem tenet ibi Bald. 4. oppos. Philip. Dec. 11. column. in princip. Jas. 7. col. num. 19. idem tenet Abb. in *cap. Ex liter, de fide instrum. 3. col.* & ista est probabilior opinio, quia licet rasura inducat præsumptionem falsitatis instrumenti, & comparatio litterarum inducat præsumptionem contrariam; tamen magis præponderat præsumptio falsitatis, quam comparatio litterarum, cum faciliter possit fieri littera similis. Item adde, quod si illa rasura vel cancella-

tio deberet stare secundum quod colligitur ex præcedentibus vel sequentibus, quod non vitiatur in aliquo instrumentum: Glossa est notabilis in *cap. Cum venerabilis, de Relig. domi. in gloss. fin.* tenet etiam Bartol. in *dict. leg. fin. 3. column.* licet corruptè alleget illam Glos. idem tenet ibi Salyc. 3. column. Alexand. in 6. Corneus in 4.

Adde tamen circa superiora, quod si legitimus contradictor appareat, & potiora jura ostenderit, non fiet missio; imò si facta fuerit, revocabitur: ita text. in *dict. leg. fin. versicul. Sin autem aliquis contradictor, &c.* Sed difficultas maxima & valde necessaria, in qua pendet tota virtus ejus est: Quis sit vel dicatur legitimus contradictor, & quando dicatur habere potiora jura? in quo articulo nimis variavit Gloss. in verb. *Legitimo*, & omnes DD. tam Antiqui, quam Moderni. In quo, comprehendendo veras & communes sententias, resolutivè dico, quod primò erit legitimus contradictor ille qui detinet vel possidet illas res quando petitur missio, & similiter habebat & possidebat eas tempore mortis defuncti; & in eis non poterit fieri missio, argumento illius text. in *dict. leg. fin. ibi: Earum rerum qua testatoris mortis tempore fuerunt*, ubi probatur & supra dixi, quod ita demum hæres debet mitti in possessionem virtute illius legis, quando bona possidebantur vel detinebantur à defuncto tempore mortis. (x) Secundò erit legitimus contradictor ille qui habet titulum à defuncto, & de ejus voluntate occupavit post mortem ejus possessionem propria autoritate, juxta Gloss. & communem opinionem in *leg. Titia cum testamento. §. Lucius Titius. ff. de Legat. 2.* Tertio erit legitimus contradictor ille qui post mortem testatoris habet titulum verum & habilem ad translationem domini, & similiter possessionem ab aliquo tertio, etiam si tempore mortis testatoris fuerint penes eum: quia cum istud remedium sit adipiscendæ possessionis, non datur contra titulo possidentem: & ita probat text. in *dict. leg. fin. ibi: Non autem legitimo modo ab alio detinentur*, & idem est in remedio. *Quorum bonorum, & petitionis hereditatis*, ut supra dictum est. Quartò erit legitimus contradictor ille qui

(x) Hæc Bartol. doctrina in *leg. 2. Cod. de Edict. divi Adriani tollen. num. 12. Paul. eod. num. Corne. num. 14. Bald. num. 43. Dec. num. 10.* ex qua doctrina infert Matienz. in *leg. 2. titul. 9. lib. 5. gloss. 3. num. 20.* quod si hæres in testamento institutus, ex remed. *leg. ultim. Cod. de Edict. divi Adriani tollen.* petierit se mitti in possessionem bonorum defuncti, quæ tempore mortis reliquit, non poterit mitti in possessionem dimidiæ partis bonorum constante matrimonio acquiritorum, quippe quorum domina erat & possessor uxor in vita defuncti, & cum missio petitur, ipsa possidebat.



qui diceret se filium vel successorem ab intestato, & diceret testamentum nullum ratione præteritionis, vel diceret nullum ex defectu personæ testantis, vel diceret testamentum falsum, & offerre se incontinenti probare; quia tunc impeditur missio: ita probat text. in leg. 2. Cod. de Edict. divi Adriani tollen. & ibi Gloss. ordinaria & communiter DD.

Quintò erit legitimus contradicor ille qui allegaret aliud testamentum solemne, quod deroget priori: ita probat text. in dict. leg. fin. Et hac possessio acquiratur qui potiora ex legitim. ibi: Modis jura ostenderit, &c. Occasione cujus quærentur ibi Gloss. & omnes alii DD. de subtili & difficili quæstio: Si duo vel plura testamenta sunt contraria ab eodem testatore uno & eodem die ordinata, in quibus diversi hæredes sint instituti, an admittetur uterque, vel nullus? Et videtur quòd nullus; quia cum incertum sit quod sit posterius, neutrum debet valere, propter incertitudinem & repugnantiam, argumento text. in leg. Duo sunt Titii. ff. de Testament. tutor. text. in leg. in Tempus, §. 1. ff. de Hæred. instit. text. in leg. Si fuerit. ff. de Rebus dubiis, text. in leg. Cum ex pluribus. ff. de Manum. testament. text. in leg. Eum qui novissimus. ff. ad Trebel. text. in leg. Idem Pomponius, §. fin. ff. de Rei vend. text. in leg. Eum qui duobus. ff. de Acquirend. hæred. text. in leg. Ubi repugnant. ff. de Regul. jur. Sed pro contraria parte videtur quòd valeat utrumque testamentum, & uterque hæres succedat in medietate, ac si in uno & eodem testamento essent instituti, & uterque mittatur in possessionem pro sua medietate: pro qua sententia & conclusione facit bene text. in leg. Cum hic status, §. Si ambo. ff. de Donat. inter vir. & uxor. text. in leg. Si inter virum, & in leg. Qui duos. ff. de Rebus dubiis, text. in leg. 1. in fin. ff. de Bonor. posses. secundam tabul. text. in leg. Qui ex liberis, eodem titul. text. in leg. Si quis Titio. §. fin. ff. de Legat. 2. & istam partem tenet & fundat melius quàm alibi Rosfred. in Libellis suis, in Rubr. de Bonor. posses. secundum tabul. penult. & fin. column. post Guillelm. de Suza, quem ipse refert.

148 Sed in hoc articulo resolutivè dico, quòd si potest constare de posterioritate alicujus testamenti, etiam per horam vel momentum, illud debet prævalere, argumento Gloss. singularis in leg. Si ex pluribus. ff. de Solut. ubi tenet, quòd ubicumque potest considerari privilegium vel prærogativa ex anterioritate vel posterioritate temporis, sufficit si per solam horam vel momentum probetur anterioritas, vel posterioritas temporis: & ad hoc ibi notat & commendat Bartol. Paul. & communiter DD. & eam dicit

rarò alibi inveniri Bald. in leg. Imperator, la 1. ff. de Statu hom. 3. col. Barbat. ubi plura infert in cap. Consuluit, de Offic. delegat. similis Gloss. videtur in cap. Si à Sede Apostolica de præbend. in 6. alia in cap. Si duobus, de Rescript. pro quibus facit text. in leg. Ratio, §. fin. ff. de Acti. empt. text. in leg. Si fundus, §. Si duo. ff. de Pign. Si verò non potest constare, tunc magis communis opinio est, quòd neutrum testamentum valeat, & neuter ex institutis in eis admittatur, sed locus sit successioni ab intestato: ista est Gloss. expressa in leg. 1. §. Non autem. ff. de Bon. poss. secundum tabul. & ibi tenet Bartol. Din. & communiter alii DD. tenet etiam Din. in leg. Hac consultissima. §. Cum autem, Cod. de Testament. tenet etiam Imol. & DD. in leg. Eum qui duobus, de acquirenda hæred. tenet etiam Gloss. in dict. leg. fin. Cod. de Edict. divi Adriani tollen. in verb. Missus. Azor. in Summa illius titul. 2. column. numer. 5. Alb. ibi in dict. leg. fin. pen. column. qui dicit, quòd ista opinio communis tenetur. Oldr. Richard. & Odofr. quos refert Alb. & istam dicit communem opinionem Jas. ibi, penultim. column. num. 30. eam etiam dicit communem opinionem Dec. ibi, antepenult. column. num. 52.

149 Limita tamen hanc communem opinionem not. modis sequentibus: Primò quando neuter eorum possideret: secus si aliquis eorum reperitur in possessione; quia ille obtinebit, alter tamquam actor succumbet, nisi probeat de posterioritate, argumento leg. Si eum actum. ff. de Neg. gestis, juncta Gloss. & communi opinione in leg. Non solum. §. Sed ut probari. ff. Novi oper. nunc. & argumento regulæ leg. Actor quod asseverat. Codic. de Probat. in leg. Qui accusare, Cod. de Edendo, ita Bart. post Din. & Antiquos in dict. leg. 1. §. Non autem. ff. de secundum tabul. Dicit tamen Bald. notabiliter in leg. 1. Cod. Quando proba. non est nec. 3. col. num. 9. quòd illa prælatio est in absolvendo, ex regula generali dicente, quòd actore non probante, semper reus debet absolvi, eo casu quo reus conventus reperitur in possessione; non tamen simpliciter est intitilanda, vel referenda illa prælatio in possessione magis privilegianda in isto casu quàm in alio: & iste sensus Bald. & verus; in quo vide Dec. in dict. leg. fin. penult. column. num. 53. qui notabiliter impugnat hoc, imò dicit, quòd ratio vera est, quia illa possessio fortificatur & corroboratur cum titulo; unde ex his duobus præfertur possessor, non verò ex solo commodo possessionis. Pro qua sententia & declaratione considerat textum optimum in cap. Si à Sede Apostolica, de præbendis, in 6. Et ista opinio & consideratio contra Bald. vi-

detur mihi pura veritas: pro qua facit ultrà eum text. notab. in leg. Si debitor, versic. Inter eos. ff. de Pignor. text. in leg. 1. versicul. Si colonus. ff. de Salvian. inter. Secundò limita quando in utroque testamento essent instituti hæredes extranei: secus verò si in aliquo essent instituti venientes ab intestato; quia illud testamentum præferetur, argumento textus notabilis & singularis in suo casu, in leg. Hac consultissima. §. Si quis autem, Cod. de Testament. text. subtilis & notabilis in leg. Si duobus. §. Si prius. ff. de Contra tabul. juncta Gloss. & communi opinione: ita etiam Bart. post Antiquos in dict. leg. 1. §. Non autem. ff. de Bon. poss. secundum tabul. Angel. de Aretin. in §. 1. instit. de adempt. legat. 2. col. Jas. in dict. leg. final. Cod. de Edict. divi Adriani toll. penult. column. Tertio & singulariter limita, nisi ex Protocollo tabellionis vel Notarii, à quo ordinatum est testamentum, appareat de posterioritate testamenti, ex eo quòd posterius reperitur ibi scriptum; argumento text. not. in leg. 1. Cod. de Novo. Cod. Compo. §. Quibus, quem genericè summè notat ibi Bald. 2. column. num. 5. & Alber. 1. column. in fin. & communiter DD. & in expressò istam declarationem ad prædictam communem opinionem ponit Albert. in dict. leg. fin. de Edict. divi Adriani toll. penult. column. in fin. de qua nullas ibi facit mentionem: idem reperio quòd tenet Aretin. in leg. Eum qui duobus. ff. de Acquir. hæred. 2. column. in medio. Quarto limita, nisi in uno testamento sit instituta pia causa: imò quod magis est, si in uno reperitur legatum ad piam causam, illud præfertur & valet: ita solus Roman. in Authent. similiter, Cod. ad l. Falc. in 12. Specialitat. ultimar. voluntat. argument. text. in suo casu in leg. 1. Cod. de Jure fisci lib. 10. & illud dicit singulare & alibi non legisse Jas. in dict. leg. fin. penultim. col. in medio, & ibi etiam tenet & sequitur Dec. penult. column. in medio.

Advertendum tamen, quòd hodiè ista communis opinio corrigitur, & approbatur prima opinio: scilicet quòd iùo casu uterque admittatur, & sit hæres in dimidia parte, & mittatur in possessionem pro ea: ita expressè probat & determinat lex 3. titul. 14. 6. part. in cujus confirmationem facit text. in leg. Militis Codicillis. §. Miles. ff. de Milit. testament. text. in leg. Querebatur, eod. titul. text. in leg. 1. §. Sed & si in duobus. ff. de Bonor. posses. secundum tabul. text. in leg. Duo socii. ff. de Hæred. instit. facit etiam doctrina & conclusio Bartol. & communis in leg. Si duo. ff. Uti possidetis. Circa quam tamen legem Partitæ necessariò potest dubitari, an debeat limitari secundum declarationes supra positas ad communem opinionem? scilicet, ut si

quis reperitur in possessione bonorum, ille præferatur; vel si in uno testamento reperiantur instituti venientes ab intestato, illud præferatur; vel si in uno sit instituta pia causa, illud prævaleat: Et breviter teneo quòd non, sed quòd indistinctè uterque hæres admittatur: quia supra dictæ limitationes tantum procedebant de jure communi, quo non erat decisum, quòd testamentum valeret; sed cum hodiè jam sit decisum, quòd utrumque valeat & uterque institutus sit hæres, teneo pro constanti, quòd prædicta lex Partitarum non recipit prædictas limitationes: Bene tamen credo, quòd superior limitatio, quæ habet, quòd si constat ex Protocollo vel registro tabellionis vel Notarii de posterioritate testamenti, &c. procederet & haberet locum etiam hodiè, ut illud, testamentum quod appareat posterius, præferatur: & certè est hodiè nova & subtilis limitatio & declaratio ad dictam legem Partitar.

150 Sextò dico, quòd non erit legitimus contradicor ille qui habet titulum habilem ad translationem domini ab aliquo tertio in vita testatoris, vel post ejus mortem, si numquam habuit possessionem nec sibi fuit tradita, sed possidebantur vel detinebantur à defuncto tempore mortis: quia tunc, ex eo quòd habeat titulum, & incontinenti vellet probare eum, non impeditur missio, imò hæres institutus mittendus erit in possessionem, & ille non erit legitimus contradicor: quia ille titulus sibi produxit actionem personalem contra obligatum, qui titulum concessit, non verò contra defunctum possessorem, ut in leg. fin. §. fin. cum simili. ff. de Contrah. emptio. ergo similiter non dabitur contra ejus hæredem, & sic non impeditur missio. Imò licet ab ipso defuncto habuerit titulum, & non tamen habuit possessionem, non erit legitimus contradicor, imò etiam hoc casu hæres debet mitti in possessionem: quia ab ipso defuncto vel ejus hærede oportet per viam juris petere possessionem & traditionem, nec propria auctoritate occupare poterit, ut in leg. Si ex stipulatione. ff. de Acquirend. possession. cum similib. ergo etiam hoc casu hæres mittendus est in possessionem, nec eam ille tertius poterit impedire. Imò quod magis est, licet ille contradicor sit verus dominus rei, vel rerum, quia habuit titulum à domino, & similiter possessionem vel traditionem in vita ipsius testatoris, tamen testator eam vel eas possidebat vel detinebat tempore suæ mortis, & nunc tempore contradictionis, & sic post mortem defuncti non est in actuali & reali possessione vel detentione; non erit legitimus contradicor, nec potest impedire missionem in possessionem, etiam si vellet incontinenti probare prædictum dominium



nium ejus: Et ratio vera & mentalis est; quia licet verè sit dominus, tamen suam actionem realem, hoc est rei vindicationem debebat proponere contra ipsum defunctum in vita tamquam possessorem via ordinaria, & ipse defunctus deberet esse in sua actuali possessione donec lis & causa proprietatis deciderentur, ut in leg. 1. ff. de Alien. jur. mut. caus. fact. in toto titul. ff. & Cod. de Rei vindic. & expressius in leg. Ordinarius, Codic. de Rei vindic. in lege Incerti juris, Cod. de Interdict. text. in §. Retinenda instit. de Interdictis cum similib. ergo ita eodem modo nunc hæres debet mitti in possessionem rei, vel rerum, quæ fuerunt penes defunctum tempore mortis, non obstante dominio contradicitoris, & in ea debet defendi donec per actionem realem, & judicium proprietatis avocet ab eo res. Nec obstat Glos. ordinaria & communis opinio in leg. 2. C. de Edict. divi Adrian. toll. ubi habetur, quod si dominus & contradicitor in continenti probat de dominio suo, impeditur missio: Quia debet intelligi, quando ille qui allegat exceptionem domini, est in actuali possessione; non verò aliàs, per rationem superiorem. Nec obstat etiam & secundò, quod aliæ exceptiones, puta nullitatis testamenti, vel falsitatis impediunt missionem, ut dixi supra: Quia illæ exceptiones omninò adversantur testamento, & per eas excluditur jus agentis, hoc est hæredis instituti, ex eo quod est jus incompatibile cum dictis exceptionibus: sed ista exceptio domini non adversatur testamento vel hæredi, nec per eam excluditur jus agentis; cum bene stat, quod contradicitor possit esse dominus, & hæres possit esse possessor sicut defunctus erat: & ista est mea nova subtilis & clara doctrina & resolutio in hoc difficili & confuso articulo, secundum quam cessant ambages & diversæ opiniones DD. & in hoc sexto & ultimo membro ita videtur tenere Bartol. & iste est ejus sensus, licet sic non declaret, in dict. leg. fin. penult. column. in med. versic. Aut allegat titulum, quem omnino vide Paul. in 5. column. versic. Breviter mihi videtur. Bald. 12. column. versic. Tertio, per instrumenta dissimilia. Corn. antep. col. in medio, versic. Recolligendo, itaque concludas. Dec. 12. col. n. 40.

151 Dubium tamen est circa prædictam legem finalem de Edict. divi Adrian. tollend. Quis sit judex competens, an judex loci ubi testator decessit, vel hæredis, vel ubi sunt bona? In quo articulo resolutivè dico, quod si quidem quando hæres petit se mitti in possessionem virtute illius leg. appareat aliquis contradicitor, cujus persona subest illi judici coram quo petitur ut pronuntiet de mittendo; tunc talis judex censetur competens, & potest pronuntiare, & exe-

cutioem remittere ad judicem loci, ubi res hæreditaria sunt argumento text. cum materia in leg. A divo Pio. §. Sententiam Roma. ff. de Re judicata, & in leg. Cum unus, §. penult. ff. de Bonis autor. judic. poss. & in leg. Properandum. §. Sin autem reus, Cod. de Judic. & in cap. Romana. §. Contrahentes de foro competent. lib. 6. & notatur per Glossam & DD. in leg. Hæres absens, §. 1. ff. de Judic. in quibus locis habetur, quod per litteras judicantis definitivè, vel etiam interlocutoriè debet fieri executio per judicem alterius territorii in quo bona sunt. Si verò nullus appareat contradicitor, tunc missio debet peti coram judice illius territorii ubi sunt res, & ille erit judex competens, ut possit pronuntiare & mittere in possessionem; alter verò judex, vel originis, vel domicilii hæredis non erit judex competens; quia non ratione personæ, cum non sit persona contra quam petitio dirigatur. Item non ratione rerum, quia non sunt in suo territorio, argumento text. in leg. fin. ff. de Jurisd. omn. jud. & in expressò istam conclusionem probat text. in leg. unic. Cod. Ubi de hereditate agitur, in princ. cujus verba sunt, illic ubi res hereditarias esse proponis, hæredes in possessionem rerum hereditariarum mitti postulandum est, & in effectu istam doctrinam & distinctionem ponit Bartol. in dict. leg. fin. Cod. de Edict. divi Adrian. tollend. 6. column. n. 13. & Paul. de Castr. ibi, 4. column. num. 10. qui dicit, quod est pulchrum & subtile: Bald. antepenult. column. 7. quæst. Salyc. 2. column. n. 8. Alexand. 4. column. in fin. Jas. 6. column. n. 17. Dec. 9. column. num. 31. Paul. de Castr. not. in dict. leg. unic. Cod. Ubi de hereditate agitur, & ibi Bald. & ante omnes ibi Azor. in Summa, & tandem est ista communis opinio. Ex qua regula & doctrina sequitur, quod si hæres intendat interdictum adipiscendæ quorum bonorum, vel petitionem hæreditatis; cum sint remedia, quæ requirunt reum adversarium, & sic personam contra quam dirigantur; illa possunt intentari in loco & domicilio ipsius rei conventi, etiam si ibi non sint res; & similiter possunt intentari in loco ubi res sunt, licet ibi reus non habeat domicilium: ita probat text. notabilis in dict. leg. unic. Cod. Ubi de hereditate agitur, in versic. fin. & ibi expressè tenet Gloss. finalis & ibi Azor. in Summa. Petr. de Bellaper. Bald. Salycet. Paul. & communiter DD. Confirmatur, quia Interdicta sunt in rem scripta, ut in leg. 1. §. Interdicta omnia. ff. de Interdict. Petitio hæreditatis est actio mixta, ut in leg. Sed & si lege. §. Petitio. ff. de Petit. hæred. & ibi Gloss. Bartol. & communis opinio: text. in leg. Hæreditatis, Cod. eodem titul. & ibi communis opinio: Unde

sicut actio merè realis potest intentari in loco & domicilio rei, vel in loco ubi sunt res, ut in leg. final. Cod. Ubi in rem actio. & ibi Glos. & DD. ita ista judicia vel remedia in rem scripta, vel mixta.

Sed attende, quod in puncto juris videtur, quod imò ille judex domicilii hæredis, & sic personæ ejus possit pronuntiare de mittendo, & per litteras suas requisitorias fiet executio & missio per judicem territorii ubi res sunt: Et hoc tali fundamento: quia cum hæres institutus possit istam missionem petere sine aliquo contradicitore, & judex pronuntiare super ea, ut supra conclusum est; sequitur, quod ille actus per se erit validus, sicut si fieret cum contradicitore, & sortiri debet effectum, ut cum litteris suis alibi mandetur executioni, & realiter fiat missio: & istud est quod apertè vult Gloss. in dict. leg. final. Cod. de Edict. divi Adrian. toll. in verb. Competenti, in fin. & istam conclusionem tenet Guillel. de Cùm. in dict. leg. una. Ubi de hæred. agitur: quem refert ibi Paul. in fine. Pro qua sententia & conclusione facit textus unicus in suo casu secundum Din. Albert. & DD. ibi, in leg. Magis puto. §. Illud quæri potest. ff. de Rebus eorum, ubi probatur, quod judex domicilii minoris potest interponere decretum super alienanda re sito in alio territorio & jurisdictione, licet etiam possit illud interponere judex loci ubi res est, ut est casus notabilis in leg. Prædictum post princ. Cod. de Prædiis minor. & ibi expressè tenet Bartol. Bald. & notabilis Salycet. qui dicit hanc fore communem opinionem. Secundò facit text. in leg. 1. Cod. Ubi petantur tutores, ubi habetur, quod judex domicilii pupilli potest dare tutores, ut possint administrare res alibi sitas; & similiter judex loci ubi sunt res, poterit dare: & ibi not. Gloss. & communis opinio. Nec obstat text. in dict. leg. unic. in princ. ubi de heredit. agitur. Quia ibi non negat quod possit etiam peti coram judice domini, hæredis, & sic non inducit necessitatem. Vel aliter & secundò. Quia ibi non loquitur de petitione ipsius pronuntiationis de mittendo, sed de ipsa reali & actuali missione, quæ non potest fieri nisi per judicem.

152 Visa tamen dispositione text. in dict. leg. fin. Cod. de Edict. divi Adrian. tollend. Restat videre quæ differentia sit inter remedium adipiscendæ possessionis quorum bonorum, & remedium dictæ legis final. quia unum per alium videtur superfluum. Ad quod dico, quod prima differentia est: Quod remedium quorum bonorum, habet locum & competit hæredi de jure prætorio remedium verò dict. leg. fin. competit hæredi de jure civili. Sed ista differentia est nul-

Anton. Gomez, ad Legem Tauri.

lius momenti, cum utrumque remedium habeat locum, tam in hærede de jure civili, quam prætorio, ut concludit Bartol. in dict. leg. fin. & in leg. 1. ff. Quorum bonorum, & in leg. 1. Cod. eod. titul. & ibi communis opinio. Secunda differentia potest esse: Quod remedium quorum bonorum est annuale, cum sit prætorium: sed remedium dict. leg. fin. erat perpetuum, cum sit civile. Sed etiam ista non procedit; quia etiam interdictum quorum bonorum est perpetuum, cum contineat rei persecutionem, ut est text. in leg. penult. ff. de Interdictis, text. in leg. In honorariis. ff. de Act. & oblig.

Tertia differentia realis & substantialis sit: Quod remedium quorum bonorum non potest competere eo casu quo res hæreditariae sunt vacantes, sed tantum eo casu quo alius est in possessione vel detentatione earum; cum interdictum semper requirat adversarium, ut proponi possit in judicio, ut est text. in §. Summa autem, in fin. Inst. de interdict. & sic quando bona vacabant, nullum erat à jure proditum remedium possessorium pro adipiscenda possessione: Sed prædicta lex fin. habet locum modo res hæreditariae sint vacantes, modo sint ab alio occupatae, ut apertè probat text. in dict. leg. fin. ibi: mittatur quidem in possessionem, &c. & in specie istam differentiam tanquam substantialem ponit solus Rip. in Rubric. ff. Quorum bonorum, 2. column. versicul. Quinta differentia, sed ante eum hoc tenet Bartol. in dict. leg. fin. Cod. de Edict. divi Adrian. toll. 4. column. versic. Est & alia, & ibi Jas. antepenult. column. num. 28. & ultra eos probat apertè text. in leg. 1. ff. Quorum bonorum, text. in leg. 2. Cod. eodem titul. text. in §. seqq. versic. Adipiscenda, Inst. de interdict. & expressè ita tenet ibi Angel. de Aret. & alii DD.

Quarta differentia est quod remedium quorum bonorum habet locum ex testamento, si illud sit solemne & legitime publicatum, cum debeat hæres se probare hæredem, ut in leg. 1. & per totum, Codic. Quorum bonorum, prædicta verò l. fin. habet locum etiam si non sit publicatum, ut supra dixi. Quinta differentia est: Quod interdictum quorum bonorum proponitur via ordinaria, & datur libellus, & lis contestatur: sed remedium leg. fin. habet locum per viam executivam sine libello summario, modo per solam ostensionem testamenti. Sexta differentia est: Quod per dict. l. fin. non fit missio, si in aliqua parte substantiali testamenti sit rasura vel cancellatio; sed per remedium quorum bonorum, fit examen probationis, & potest fieri missio, ut in leg. Si unus, Cod. de Testament. ita colligo ex mente Paul. & aliorum Doctorum in dict. leg. fin.